



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

I. Quod post legitimum consensum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repudiante, monasterium ingredi, & altero in saeculo remanente, si vna caro non sunt effecti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. IV. *Idem * Ryomenſi & Vintonienſi epiſcopis.*

An deci-
mandum ſit
antequam
ſeruien-
tibus debita
impendan-
tur de fru-
gibus.

Cum homines de Hortun, ſecundum generalem eccleſiæ Anglicanæ institutionem, de frugibus ſuis in autumnino, nouem partibus ſibi retentis, decimas eccleſiæ & mihi, cuius parochiani ſunt, ſine diminutione ſoluere teneantur, antequam eidem eccleſiæ decimas ad eam ſpectantes perſoluant, ſeruientibus & mercenariis ſuis de frugibus non decimatis debita totius anni pro ſeruitio ſuo impendunt, & tunc deinde de reſiduo decimas perſoluentes: Vnde D. V. &c. quatenus ſub anathematis diſtinctione compellatis eos, vt decimas tam de nutrimentis animalium ſuorum, quam de frugibus ſine fraude & diminutione aliqua in autumnino, ſicut mos eſt, ſtatim collectis frugibus, & in aliis temporibus, prout debentur, perſoluant, atque de ſubtractis atque retentis dignam ſatiſfactionem exhibeant.

PARS V. DE CONIUGATIS ET SPONSIS
MONASTERIVM INGRESSIS, VEL
INGREDI VOLENTIBVS.

CAP. I. *Idem Salernitano archiepiſcopo.*

VERVM poſt conſenſum illum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repudiante, monaſterium eligere, ſicut quidam ſancti de nuptiis vocati fuerunt: dummodo inter eos carnis commixtio non interuenerit, & alteri remanenti, ſi commonitus ſeruare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur, vt ad ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cum non fuiſſent vna caro effecti, poteſt vnus ad Dominum tranſire, & alter in ſæculo remanere.

CAP. II. *Idem Piſano archiepiſcopo.*

Diſt. 32.
Seriatim.

Quidam intrauit monaſterium inuita vxore, ipſum eadem repetente coactus eſt ad eam redire: ea mortua, quæris an ipſe cogatur ad monaſterium redire, an aliam poſſit accipere vxorem. Quæſtioni tuæ taliter reſpondemus, quod votum non tenuit. Vnde ratione voti non teneatur ad monaſterium redire. Vterius vero non poteſt accipere vxorem. Promiſit enim ſe non exigere debitum, quod